



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus XVI. Fraus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

## TITULUS XVI. FRAUS.

**V**ulpes foveas habent. Matth. 8. 20. Vulpes foveas habent in corde tuo, quia dolosus es: volatilia cœli habent nidos in corde tuo, quoniam elatus es. S. Augustin. l. 7. de Verb. Dom. Vulpes dolus est; volucres cœli superbia est: sicut enim volucres alta petunt, sic superbi; & ut vulpes cavernas dolosas, ita omnes infidiatores. Quid ergo respondit Dominus? Potest in te habitare superbia, & dolus; CHRISTUS non habet, ubi in te habitet, ubi reclinet caput suum: quia reclinatio capitis humilitas CHRISTI est. Id. in Psal. 90.

*Dirigite viam Domini.* Jo. 1. 23. Servus sum, & viam præparo Domino corda vestra. Proinde illa facite recta dolosi vos, & obliqui; &

facite æqua; ita ut Dominus per vos iter faciat. Theophylactus hic.

*Ecce verum Israelita.* Jo. 1. 47. Non enim omnes, qui secundum carnem ex Israël sunt, sunt Israelitæ; sed hi tantum, in quibus dolus non est: qui recto corde sunt, & DEum videre stuant, reputantur Israelitæ. S. Rupertus l. 2. in c. 1. Joan.

*Habens poculum aureum in manu sua.* Apoc. 17. 4. Calicem, sive poculum Babylonis, dulcem intelligimus deceptionem. Id. de Vi& Verbi Dei c. 15.

Circumventio aliena vel maxime diabolum facit. S. Bernardus serm. 10. in Psal. qui habitat.

## TITULUS XVII.

## FUGA CHRISTI IN ÆGYPTUM.

**U**T fugaces revocaret, aufugit. Et revera, si, ut revocet errantem ovem in montibus, ipse errat; quomodo ipse non fugit fugientes populos, ut reducat? S. Chrysologus l. 150.

In Ægyptum fugit, ut & illam sanctificet. Theophylactus in c. 2. Matth.

Vadit in Ægyptum. Nunquid alia terra defecit? Recordatus est Dominus, qui non in finem irascitur, quanta mala fecerit super Ægyptum: ideo mittit Filium suum in eam; & dat ei magnæ reconciliationis signum, & perpetuæ amicitia pignus; ut decem plagas unâ medicinâ sanaret. O commutatio dexterae Excelsi! ut populus, qui antè fuerat persecutor populi primogeniti, postea fieret

custos Unigeniti Filij DEI. Author Imperf. hom. 2. in Matth.

Fugit in Ægyptum Dominus; ubi Hebrææ Gentis antiqua fuere cunabula. S. Leo serm. 3. de Epiph.

Quid sibi vult Evangelista, quod hæc scribat ad memoriam sempiternam? devoti militis est, regis sui tacere fugam, referre constantiam, virtutes loqui, timores silere, aperire fortia, infirma reticere, prædicare victorias. Bellicosus quod in bello fugit, artis est, non timoris. DEUS, quando fugit hominem, Sacramenti est, non pavoris. S. Chrysologus serm. 150.

